



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VIII. Beatam dicit Mariam cœlum & terra; quia majorem præ illis
hominibus affert Virgo utilitatem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

terita nocte supererat oleo, perduravit flamma ipsâ quæ supposita erat aquâ ignis fomentum suppeditante. Ad quod miraculum innumeri convenere, vigiliisque produxere. *Nierembergius in dissertationibus epistolicis epist. 20.* refert miraculum, quod etiam arbores laudē Virginis probet decantare. In Episcopatu Michivocensi sive Tarascorum oppido, quod vocatur Ailla de Jacona habitata ab Hispanis, & Tarascis, accidit, ut in quodam trunco fusto arboris, quam vocant indigenæ Bujabo, inventa sint hæc verba Hispanica, *Maria concepida sin pecado: quod habitum ut miraculum, & servatum in Augustinianorum Ecclesiæ sacrario.*

2. Beatam dicit Mariam coelum & terra; quia majorem præ illis hominibus affert Virgo utilitatem.

Thomas Archiepisc. Valent. conc. de Annunt. Tolle solem quid est in mundo nisi tenebræ, tolle Mariam ab Ecclesia, quid restat nisi caligo? sol trahit nubes. *3. Reg. 18.* jubet Elias prospicere puerum contra mare, respondit: *Non est quidquam.* *Joan. Jerosol. de institut. Monach.* Quia nubecula illa JESU Mater non fuit, à puera visa nasci in illa prima ætate mundi: ideo puer dicit, non est quidquam; sicut antequam Deus in creatione dixisset fiat, nihil fuit, ita & in renovatione antequam fuisset Virginis fiat. *Greg. Nazianz. in Tragoedia.* Regina Domina, & generis humani Bonum. *Stephanus Sabaita in Men. 1. Jan. ode 9.* sic Divam Virginem alloquitur: O quæ Lucem Divinam progenerasti, quæ Luce sol ipse posterior est quæ etiam Lux in forma corporea ad nos appulit homines. Ob quod sic illi applaudit. *S. Theophanes Episcopus Nicanus in Men. 20. Jan. ode. 4.* Latere Candelabum Divinam sustineas Lucem. *Idem 16. Jan. ode 5.* Sol ipse omnium vocibus celebrata Virgo te multò illustriorem se ipso agnoscit. *Hermannus Contractus in prof. Ave Maris stella in lucem gentium Maria Divinitus orta.* Euge Dei Porta, quæ non aperta veritatis lumen ipsum Solem justitiæ indutum carne ducis in mundum. *Bernard. serm. in ser. 2. Pentecost.* Omnibus generationibus vitam, & gloriam tribuisti. Sed clariùs expressit *S. Germanus de zona.* Quis post tuum Filium coram gerit generis humani sicut tu? quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Tu enim cum habes Maternam apud Filium fiduciam & potentiam, nos tuis interpellationibus, & intercessionibus ei efficis familiares, & das salutem, & ab æterno liber as supplicio.

Afferit in hanc rem exemplum ex pietate Virginea in nuptijs Canæ Bernardin. *serm. 2. Dom. 2. post Epiphan.* & sic argumentatur. Si compassa est verecundiæ illorum, à quibus fuit invitata, multò magis compatietur nobis si fuerit piè invocata. *Et S. Bernard. de Purif. B. Virg. serm. 2. cap. 9. tom. 3.* Si hæc non rogata perficiet? si hæc viatrix existens, quid cum regnat in patria? *S. Germ. serm. 11. de Assumpt.* Spiritus tuus ô Maria, & caro tua in sepulchro corruptionem non sustinuit, omnia observas ac contueris, & inspectio tua ad omnes se porrigit; quamvis autem oculi nostri impediuntur, ne te videre queant, tu tamen dignis te ipsam patefacis. Agnoscit suam gloria naturam, & ipsam inprimis colunt eo modo quo loquuntur, quibus nil surdus saxa, & quidem in medio ipsius surdissimæ gentilitatis de quo sequatur.

9. Beatam dicit Mariam Natura inanimata, quæ sub cœlo est;
quia Deus illius obsequio cultum Virginis
promoveret.

Rem miram quæ anno Christi fortè 39. & Virginis 52. contigisse fertur narrat *August. Wichmans Ord. Præmonstr. in Brabantia Mariana lib. 1. cap. 3.* Apostoli nondum Judæa digressi propè Eiddam nunc Diospolim coemptam in civitate synagogam, convertunt in Ecclesiam, & sanctæ Virgini consecrârunt. Res male à Judæis accepta, quocirca rescindebant contractum, pretiumque refundebant, delata res ad Præsidentem Syriæ, qui iussit utriusque partis sigillo signari locum, & per 40. dies è cœlo signum expectari. Recurrerunt interim ad Virginem Apostoli, opemque implorârunt, iussu bene sperare, dum condictâ die aperirint templum, conspexerunt in marmore Divæ Virginis imaginem varijs coloribus miraculosè expressam, locumq; Virgini afferentem. *Author Atlantis Mariani edit. 2. fol. 74.* Statua Deiparæ quæ de Candelaria nomen habet, quæque hodie miraculis claret, in saxi cujuspiam caverna à Gentilibus reperta est. Altera, (*at idem Author fol. 78.*) in ea parte terræ Araucanæ, quæ Tubulia dicitur.

Eandem pietatem & alia saxa erga Deiparam exercuerunt. Non multùm à mari mons est, & in monte spelunca ad formam hemicielij peritissimè facta, in qua statuas collocare solemus, Cannam cum dimidia altitudo habet, latitudine velut ad architectonicas leges respondente; & verò etiam quem in usum natura locum tam bellè efformaverit intuenti apparet: nam statuam Virginis cum Jesu in brachijs eodem è saxo produxit, non insitâ vi, sed prodigio videre est eodem